

II. Nova & tuta Variolas excitandi per Transplantationem Methodus, nuper inventa & in usum tracta : Per Jacobum Pylarinum, Venetum, M. D. & Republicæ Venetæ apud Smyrnenses nuper Consulē.

Operationem Medicam inventu non minus quam eventu mirandam Orbi literario pandimus ; Non à Physicæ cultoribus, aut à doctis in Apollinea arte viris, sed à plebea rudique gente in humani generis adjumentum, in sœvissimi morbi solamen detectam, vetustis Scholarum Lucubrationibus, sedulis recentiorum investigationibus ignotam ; sed quæ ex innocentioris & ἀφιλοσόφω familæ penu defluxit. Verus ignoratur ejus adinventor : in Græcia tamen, præcisè in Thessalia, primò invaluisse certissimum est ; hinc in propinqua successivè serpendo loca & civitates, in Byzantinam tandem irrepit urbem ; ubi latuit quidem initio per aliquot annos, raro quoque, & inter humiliores dumtaxat recepta : Immaniter autem grassante nuper Variolarum epidemia, latius innotescere cœpit ; Numquam tamen sublimiores ausa est ingredi aulas ; donec Nobilis quidam nec obscurus inter præstantiores Græcos, & ex antiquo Caryophyllorum sūpīte clarus, mihi verò intimiori amicitiæ titulo notus, anno salutis 1701. sub hyemis finem, serio mè quidnam de hac infitione sentirem, consuluit ; & an ad eandem in quatuor propriis filiis celebrandam præstarem assensum : Nam tūm temporis lethaliter totam fere civitatem morbus hic invaserat ; qui summum ei de natorum salute metum incutiendo, anxiū valde reddiderat. Verū quid ipse super ignota re decernerem, nulla præcedente novissimæ hujuscæ methodi notitia, penitus ignorare me dixi ; ac simul Operatoris conveniendi copiani petii. Triduo perfecto, cum ad amicum denuò accessissim, & de eadem

Q q q

mate-

materia sermo iteratò inter nos esset initus; Ecce paulo post mulier Græca ad decentiam satis composita cubiculum intravit; quæ totam operationis seriem, modum, locum, tempus, cæterasque circumstantias, ut ego deinceps aperiam, clare satis latèque nobis exposuit; quamquam ipsa veram ex insitione excitationis Variolarum causam haud intellexerit: His experimenta & casus innumeros tutò semper & ad salutarem eventum perductos annexit; è quibus aliquot (omnes enim quis potuisse in urbe amplissima exquirere?) verissimos esse ex assertoribus fide dignis deprehendi: Idcirco re bene pensitata, rationi & naturæ haud absonam omnino compri: præsertim autem casibus jam dictis permotus, amico jam servidius post aliquot dies consilium iterum expetenti, mè haud alienum, sub levi tamen hæsitantia, præbui; Quâ, tamquam dato assensu, arreptâ, & de servando regimine toto ægrotationis tempore satis edoctus, insitionem per mulierem Græcam in quatuor filiis audacter instituit: quorum tres natu minores (quinquennes, & vix septennes) leviter ægrotarunt; paucisque apparentibus pustulis post hebdomadam, febre penitus & periculo evalerunt: Ætate verò major, octavum super decimum agens annum, graviter decubuit: Nam continent febre & malignante correptus, superveniente difficilium symptomatum syndrome, plusculisque quamquam non copiosis exanthematibus obrutus, vix post decimum quartum diem morbum elusit: Quod ego atrabilari ejus temperamento, succisque pravis, ut & neglectæ prius (contrà datam admonitionem) corporis expiacioni tribuendum velim. Felix operationis eventus mirum quam multas nobiliorum familias ad imitationem traxit: Ut hodie sine hæsitantia, præter timidiusculos aliquos, unusquisque transplantationis emolumentum sentire velit. Soli Turcæ, utpote Fati decretis addicti minus que deciles, hanc neglexerunt hucusque.

Naturalis est penitus hæc Operatio, nulloque obducta superstitionis fuco; quamvis ipsum Transplantationis Non-

men prima facie hæsitantiam pariat. Dissert toto cœlo à Curationibus Sympatheticis ; eò magis à Magnetismo illo transplantatorio, per quem Morbi ex uno subjecto (mediante imaginaria quadam, gratis efficta, & imperceptibili Mumia) in aliud traduci dicuntur ; qua de re Tenzelius, Bartholinus, Maxuellus, Etmullerus, aliique ex Recentioribus, docti alias Viri, agunt sedulò ; qui vetustas Antiquorum in Medicina quisquilias expurgandas esse cum jactitent ; inter quisquilias ipsi quandoque se voluntant, novissima vanitatis amurca veneranda hæc tenus purissimamque Scientiam deturpantes. Quare, ut verum fatear, quemadmodum Operationes hæ Magneticæ, vel Sympatheticæ superstitiones vanitatis suspicione non carent (ut in Unguento Armario, Pulvere sympathetico, & similibus), utpotè extra activitatis sphærām in distans agentes ; ità Variolarum Transplantatio, vera, mera, pura Physica est ; quia puris mediis Physicis, & ad oculum patentibus, nec non ipso sensibili contactu completur ; ut è mox dicendis clariùs elucescat.

Hujusmodi igitur Variolarum excitatio fit per Metaphorice sic dictam Insitionem sive Transplantationem ; quæ nihil aliud est, quam fermenti morbifici seu puris ex Variolis extracti in corpus sanum, per vulnuscula ad hoc facta, insertio.

Physicus excitationis modus hoc pacto succedit. Intrusum in vulnuscula pus veri fermenti suscipit indolem ; Hinc beneficio circulationis per vasā & canales proprios ad sanguinis massam delatum, dispositas ad hoc particulās, & delitescente vitio turgidas statim aggreditur, inficit, venenumque communicando latitans in illis seminarium fermentativum excitat, agitat, actuat, inque motum ciet ; Unde ebullitio universalis, seu fermentatio oritur ; Vi cuius impiores & heterogeneæ partes separatæ criticè protruduntur ad cutem ; natura interim placidè virtute talis operationis totum opus moderante.

Sed ad Transplantationem ipsam, & ejus celebrandæ formam properandum ; modum quo eadem Mulier Transplantatrix tutissimè operabatur fideliter describendo, ordinem, cæteraque omnia ; ex quibus regula quædam institui poterit pro operatione hac obeunda. Cæterum quamvis de omnibus oculatus Testis, ut ingenuè fatear, esse non possim ; ex Operatricis tamen ore multa, plura ex fideli relatione transumpsi ; plurima & potiora ipse met observavi. Omitto quæ ad majorem confirmationem universalis fama canit. Quibus omnibus præstandam esse fidem candidè ac strenuè assevero.

Ergo primò tempus ad celebrandam insitionem opportum feligendum est ; Quod secundùm Operatricem hibernum desideratus ; & non nisi tali tempore ipsa insitionem instituebat : Vernum ego pariter idoneum considerim, propter clementiorem aeris temperiem.

Secundò selectissimum adhibet fermentum ; Pus scilicet inferendum non ex quolibet subjecto recipit ; sed Variolis epidemicè grassantibus, è pustulis jam maturis decubentis alicius pueruli alias ἐντάρκε, iisque benignis, punctione illud extrahit exprimitque ; & in conchulam aliquam vel vitreum vasculum mundissimum, nec nimis actu frigidum reponit reconditque ; quod Vasculum bene sartum tectum in pedissequi sinum fovendum intrudit ; mox sine mora ad operationem properat : Pus ex insitiis rejicit, ut inefficax. Quod tamen ego benignioris indolis, nec minoris interim energiæ fecerim : qua in re experientia consulenda.

Tertiò, temperatissimum vult patientis inhabitandum cubiculum quoad aeris modificationes.

Quartò, ad operationem jam celebrandam accedens mulier, frontem in confinio capillorum & quidem medio in loco ; mentum & utrasque genas acu ferrea vel aurea pungit ; non rectâ, sed oblique impingendo, cutemque acuta cuspide à subjecta carne aliquantillum separando.

hinc

hinc eadem acu pus jam præparatum in vulnusculum instillat è vasculo, intruditque; superinducta per fasciam ligatura: Manus item ambas in metacarpis, pedes in metatarsis eodem modo ferit, pusque inserit, fasciaque leniter stringit; serio imponendo patienti, ne partes illas scalpat madefaciative. Potius carnosiora pungerem loca, quatenus inflammationibus dolorique minus obnoxia, nec tendinibus intertexta.

Præter hanc operandi formam cæteri omnes rejiciuntur modi, ut potè absoni, inusitati, malè succedentes, infelicitisque exitus.

Interim lectulo moderatè manendum, neque plus quam opus fuerit jacendum.

Quintò bonum in sex rebus non naturalibus regimen, præcipue in victù, injungit; Non solum enim vino & carnibus, verum etiam earumdem juscule rigorosè patientes ad quadragesimum diem interdicit: Pluribusque monitum non curantibus sæpius malè successit; nam ad oculos, poena erroris, novas erupisse pustulas, aliaque non parvi discriminis symptomata supervenisse, visum est.

Sic ritè peracta transplantatione, non omnibus eodem temporis intervallo suscitari solent variolarum symptomata; Variè enim fermentum agit; serius vel citius, prout unicuique proprium favet temperamentum, ætas, robur. Quamquam Variolæ ipsæ, in septimo ferè semper apparere incipient, qui dies vere criticus est. Nec defuere, quod raro contingere solet, quibus statim primo die effloruerint.

Sympromata ægrotantibus evenientia variant secundum temperamentorum diversitatem, succorum in massa ianguine habitudinem, & particularem in lagulis naturæ dispositionem: remissiora nempe vel intensiora ingruunt; At communiter graffantibus non dissimilia, quamvis clementiori ut plurimum facie: Plures vix alterationem lassionem sentiunt aliquam.

Excitatæ Variolæ ferè semper sunt de genere Distinctarum ; nec numero multæ ; Decem, ut plurimum viginti, triginta, raro ad centum, rarissimè ad ducentas erumpunt.

Notandum primò nonnullos, unico dumtaxat vulnusculo ad brachium inflicto contentos, excitasse variolas ; paucisque apparentibus pustulis præservatos tamen impostorum fuisse à contagio.

Notandum secundò accidisse interdùm, ut ex insitione nullæ penitus excitatæ fuerint Variolæ, vel ob non præexistentem ullam prorsùs variolicam in corpore dispositionem, vel ob enervatum infraetumque fermenti contagium : At postea grassante populariter morbo, correpta sunt promiscuè ejusmodi corpora jam insitionem passa, communi cæterorum sorte.

Tertiò, Insertionis loca seu vulnuscula in pustulas semper evadere solent : Quibusdam verò excrescunt in purulenta tubercula, nullis interim apparentibus pustulis ; Nonnullis in apostemata quidem majora degenerant magnam puris copiam effundentia : Non semel eadem loca, in pedibus præcipue manibusque, summo cum dolore intumescent; pureque effuso subsident, iterumque in tumorem attoilluntur. Quibusdam, rarissimè tamen, ad glandulosas partes & emundatoria, post aliquod tempus, abscessus emergunt, ac suppurantur paulatim : ludente sic in diversiformi corporum crasi natura.

Postremò, nunquam ferè ex transplantatione hac funestri quid accidisse observatum fuit haclenus ; etiamsi in quocumque sexu, temperamento, ætate celebrata fuerit ; quinimò, ritè recteque tractata, & in corporibus per peritum Medicum aptè præparatis, certissimam promittit salutem. Variolæ enim hoc modo excitatæ benignioris sunt indolis, quam sunt illæ quæ populariter grassantur ; Utpotè ex fermento, seu contagio, omni malignitate carente promotæ : Ebullitio, per quam massa sanguinis agitatur ac totum opus perficitur, blandè non violenter,

moderante natura, conamina sua molitur ; Sed prater hæc, tempus ad operationem atque anni tempestas magis idonea pro transplantatione ad libitum eligi, ut & corpus insitioni subjiciendum congruis adminiculis ad recipiendum illam ex arte preparari disponique poterit ; Quod revera maximi ad salutarem faustumque morbi successum momenti censeri debet.

De hac re vide etiam *Philos. Trans.* No. 339.

III. *Problematis Mathematicis Anglis nuper propo-* *siti Solutio Generalis.*

IN Actis Eruditorum pro mense Octobri Anni 1698.
pag. 471. D. *Johannes Bernoullius* hæc scripsit.
Methodum quam oportaveram generalem secandi
[Curvas] ordinatim positione datas sive algebraicas sive
transcendentales, in angulo recto sive obliquo, invaria-
bili sive data lege variabili, tandem ex voto erui : cui,
Leibnitio approbatore, ne $\gamma p \nu$ addi posset ad ulterio-
rem perfectionem, & vel ideo tantum quod perpetuo
ad æquationem ducat : in qua si interdum indetermi-
natae sunt inseparabiles, methodus non ideo imperfecti-
or est, non enim hujus sed aliis est methodi indetermi-
natas separare. Rogamus igitur fratrem ut velit suas
quoque vires exercere in re tanti momenti. Suscepti
laboris non paenitebit, si felix successus fructu jucundo
compensaverit. Scio relictum suum quem nunc fover
modum, qui in paucissimis tantum exemplis adhiberi
potest.

Hi tres Viri celeberrimi sese, jam ab annis quatuor vel
quinque circiter in solvendis hujusmodi Problematis ex-
ercuerant. Absque spiritu divinandi eandem solutionem
cum *Bernoulliana* tradere difficile fuerit. Sufficit quod So-
lutio sequens sit generalis, & ad æquationem semper
deducat.